


mum rectangulum pedum quadratorum 40, cujus basis esset 5 pedum, altitudo 8, hoc modo: hæc inquam multiplicatio est geometrica, nec ex lineis lineæ, ut illic ex unitatibus unitates, sed in intervallo uno superior magnitudo creatur, superficies nempe. Hinc etiam patet geodesia rectanguli trianguli. Nam cum crura recti anguli inter se multiplicaveris, facis totum parallelogrammum rectangulum, cujus dimidium est triangulum per 4 c 6 e 10.



P. R A M I G E O M E T R I Æ L I B. X I I.
D E Q U A D R A T O.


1. *Rectangulum est quadratum vel oblongum.*

Hæc partitio fit verbis propriis, at res & differentia subiecta est communis ex angulis & lateribus.

2. *Quadratum est rectangulum æquilaterum 30 d. 1.*

Ut hic vides *a e i o*.

Quadratū itaq; cum sit æquilaterum, & rectis æqualibus equi angulum, è quadrangulis erit ordinatum. Latine vero distinctius quadratum dicitur quam græcè τετραγωνον, id est quadrangulum, quod generale & quadrilateris omnibus cōmune. Itaq;



1. *Latera quadratorum equalium sunt equalia.* Et

2. *Potentia recta est quadratum.*

δύναμις potentia verbum est Euclidi libro decimo usitatum. Dicitur autem linea recta posse quadratum, quia in se ipsam ducta facit quadratum. Potentia porró ista ut Aristoteles ait 5 & 9 phil. dicitur κατὰ μέτρον. Et

3. *Si duæ conterminæ perpendiculares æquales claudantur parallelis, constituent quadratum. 46 p 1.*

Ut in *a e i o* perpendiculares *ae* & *ei* æquales claudantur parallelis *ao*, contra *ei*, & *oi* contra *ae*: constituent quadratum *a e i o*. Parallelogrammum enim est per c. 6. e. 10. quia opposita latera parallela: & rectangulum, quia cum angulus perpendicu-